equorum. In hoc tumultu vidimus civem unum de Ulma, qui dixit nobis, quod non longe ante nos essent tres in equis, qui usque Ulmam equitare vellent; quo audito festini procedentes secuti sumus et in villa Zierlin ad eos venimus, quos optime omnes novimus, et gratissimi socii nobis erant. Unus fuit venerabilis M. Paulus Zoller, vir multarum experientiarum, plebanus in Rûtlingen, quem ante plures annos novi; alter fuit Cunradus Kraft, civis et consul Ulmensis, affinitate mihi junctus et familiaritate amicus et socius; tertius fuit servus amborum, Johannes Schichenberger, cliens Ulmensium. Illi ergo tres et nos duo in bonam societatem venimus, et eodem die simul de valle in montana conscendimus et usque in Schneckenhusen villam equitavimus ibique noctem egimus. Cum autem jam tenebrae essent, supervenit balivus Alsatiae, dominus Wilhelmus de Roppelstein, baro et miles, frater domini Maximi de Roppelstein, militis socii peregrinationis meae de secunda societate. Hic me de germano suo, qui adhuc Venetiis erat, libenter loquentem audivit, et noctem illam paene insomnem duximus propter colloquia et propter tumultum, quia multus erat in domo populus alienus, quod quies parva.

Die XXV., quae est conversionis S. Pauli apostoli, et erat dominica II. post octavas epiphaniae, summo mane ascendimus equos et festini per montium clivos, saltus et scabrositates equitavimus et in aliam grandem vallem per praeceps descendimus in villam, quae dicitur Nazareth, et Missa audita cibum sumsimus. In hac via conveniunt viae ambae, per quas est ingressus in Italiam, via dextrae per vallem sursum ducit ad adscensum montis S. Nicolai, ad quem ingressus est per vallem, quae dicitur os tenebrosum, vulgariter Finstermünz; per quod exeundo et intrando est caliginosus ingressus, et inde venitur in campum Malserinum, latissimum, sterilem et frigidissimum, in quo Athesis et Inus flumina oriuntur, quae simul et diversas plages et maria petunt, nam Athesis cursu rapidissimo de montanis ruit non longe a Tirolo et oppidum Maron percurrit et inde mitior factus quieto transitu contra Tridentum tendit, aulonem pulcherrimum et fertilissimum, in quo Bozana civitas et grandis villa Tramindum et alia plura castra et oppida sunt. Inde, cum Tridentum transierit, Veronam adveniens ipsam in duas dividit partes, et postremo Padi paludes amplissimas suprafluens haud longe a Brandulo integer in Adriaticum mare fun-

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;